DE HYSTEROTOMOTOCIA SEU DE SECTIONE CAESAREA...

Giovanni Crescini

DE

HYSTEROTOMOTOCIA

SEU

DE SECTIONE CAESAREA

Dissertatio Inauguralis

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE, SPECTABILI D. DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

FRANCISCO MARABELLI

CHEMIAE PROFESSORE O.

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE CAPESSENDA

IN CELEBERRIMO I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

MENSE AUGUSTI AN. MDCCCXXXI.

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTEBAT

JOANNES CRESCINI

CHIRURGIAE DOCTOR
ATQUE OBSTETRICÆ ARTIS MAGISTER.
EX ASULA MANTUANA.

Ticini Regii
EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

De Hysterotomotocia, seu de sectione Caesarea.

Antiquitatis celebre est illud *Galeni* dictum (1): *Oportet prius de nominibus disserere, quae incident nobis necessario in habendo sermone*; et tantae utilitatis esse nominis disquisitionem testatur eruditus *Scaligerus*, ut ex ipsius cognitione saepenumero in rei perceptionem perveniamus, unde quoque: *initium doctrinae esse nominis considerationem*, inquit idem, et recte. Quare et nos prius quam ad realem nostri affectus considerationem perveniamus, praemittemus ea, quae nominis explicationi inservire poterunt, ut hisce praemissis, facilior nobis ad ejus notitiam pateat aditus.

Hysterotomotocia est vox composita ex vocabulo graeco *ὑστερα*, quod significat *uterum*, et

(1) Cap. 2.

ex particulis τέμνω (seco) et τικτω (pario): latius dicitur *Sectio Caesarea*; qua scilicet foetus per cruentam abdominis et uteri aperturam eximitur. Ubi vero simplici abdominis sectione foetus in lucem editur, aliqui *gastrotomiam* vocant, licet minus proprie. De origine tamen hujus denominationis Auctores non conveniunt. Alii ipsam restringunt ad nativitatem *Julii Caesaris*; alii *Caesones*, vel *Caesares* vocare malunt individua sic nata, ex eo quod caeso utero in lucem prodesent. Sic olim *Scipionem Africanum* primum ex utero eductum fuisse testatur antiquitas; similique modo natum et *Manlium*, qui Carthaginem cum exercitu intravit, *Plinius* (1) et alii referunt. Alii *Caesares* a *Caesarie* appellatos fuisse contendunt: sed ne his diutius immoremur, illa sectio in tribus institutа legitur casibus: primus est, cum foetus obiit, et mater vivit: secundus, cum mater mortua est et foetus vivit; tertius cum mater et foetus vivunt: qui bisce duobus ultimis modis vivi educuntur, *Caesares* nominantur.

Foetus mortui gratia raro sectio ista instituitur in viva matre, cum mortis ipsius in utero existentis fallacia sint indicia, et quamquam mortuus pro certo videretur, naturae opus relinquitur, et per artem obstetriciam adjuvatur ejusdem exclusio. Si vero per vias naturales partus ullo modo fieri nequeat, et matris vita periclitetur, ad operationem foret procedendum. Historiam mirandam gestationis foetus mortui in utero per an-

(1) Hist. Natur. lib. 7. cap. 9.

nos quatuor, et tandem ex abdomine secto et utero membratim extracti, salva matre et foecunda manente, sed propter neglectam tum iterum sectionem mortua refert *Matthias Cornax*(1). Sic et *Mangetus* (2) vidit mulierem quampiam, ex cujus latere dextero, postquam foetum mortuum per aliquot annos in utero gessisset, exortus est tumor, ex quo aperto extracta fuere foetus ossa adeo corrupta, ut mephitem intollerabilem longe spargerent: sanata tamen est illa, et per plures annos supervixit. Rarissime autem visa est ipsa natura sua sponte per vias alienas foetus exclusionem moliri; cujus tamen casus memorandam habet historiam *Bartholinus* (3) de muliere, quae primo ex umbilico tumido, ac dissecto, deinde ex aposthemate infra umbilicum aperto, ac tandem ex ulcere in ilio sinistro aborto, plurima foetus humani ossicula non simul et semel, sed diversis vicibus, imo diversis multumque inter se distantibus annis excrevit, eaque tam multa, ut pro gemellorum ossibus sufficere potuissent. *Albucasis* (4) historiam gravidae narrat non vulgarem, quae mortuo eo, quod intus habebat, gravida denuo evasit: hoc quoque, quod secunda vice conceptum est, extincto, ac intra abdomen remanente, haud ita multo post per umbilicum erupit abcessus, ex quo eo stupente, haud modo pus, sed etiam ossa prodirent: re secum perpensa, ea ad foetum pertinuisse deprehendit,

(1) Enchiridio suo Consultat. med. pag. 188.
(2) Biblioth. Chirurg. T. 3. p. 400.
(3) Lib. de insolitis partus viis.
(4) Lib. 2. Chirurg. cap. 76.

atque eorum multa exemit. Mulier interim complures postea annos vixit, ulcus tamen, ex quo humor perpetuo emanabat, eo loci habuit. — *Alexander Benedictus* similem narrat historiam hunc in modum: » mirum obiter naturae exem» plum referam cujusdam matronae, intra cujus » ventrem cum partum legitimum emisisset, alter » inclusus mansit mortuus, qui in magnis puer» perae difficultatibus tabefactus, fluore quodam » profluit ex naturalibus oris; demum ortis in » ventre tribus fistulis, ex una, quae omnium » maxima erat, integra infantis calvaria extracta » est cunctis mirantibus; deinde singulis diebus » reliqua ossa desumpta sunt: unde mirabili na» turae ope sanitati restituta est » (1). Coeterum quando foetus extra uterum haerent, finem varium nanciscuntur: alii receptaculo suo perrupto, in matris abdomen effunduntur: alii abscessum excitant, atque per eundem apertum frustatim quandoque exitum moliuntur: alii exsiccantur, dura cystide ossea includuntur, *lithopaedion* tunc dicti; vel ab aliis *graviditas perennis* (2). — Aliquando in suo liquore solvuntur.

Foetus vivi e mortua mater sectione extracti (3) innumera exempla tum apud veteres, tum

(1) De Curand. morb. lib. 25. c. 33.

(2) V. Mabon Med. Leg.

(3) Praeclarus Professor Platner contendit a vera correptas fuisse morte mulieres, e quibus foetus vivi sectione caesarea eximebantur, et asserit illam mortem non esse nisi adparentem, ubi uterus adhuc aliquem servat gradum contractilitatis organicae, qui etiam sufficit per se ad foetus expulsionem efficiendam. — Plures quoque alii huic arrident sententiae.

apud nonnullos hodiernos extant (1); nec mirum, cum et religio et humanitas dictent saloti foetus, quoad fieri potest esse consulendum: quo dicta operatio citius a morte matris instituitur, eo major vitae superstitis foetus spes habetur, quamvis tamen si mortua gravida per aliquod tempus operationem distulerint, de vita foetus non sit desperandum, nam *Dolaeus* (2) in gravida, apoplexia mortua, se altero die (3) motum foetus percepisse testatur. Anno 1567 die 14 Junii ab Hispania maritus et uxor gravida suspendebantur. Uxor cum pependisset per horas quatuor gamellos vivus jam mortua peperit (4). Ex utero gravidae foeminae a marito pluribus vulneribus confossae (referente *Cangiamila*) (5) 48 horas post mortem sectione eductus fuit foetus in pede per uterum confossum vulneratus, qui adhuc per quadrantem horae supervixit. Exemptus foetus nullus pro certo mortuus habendus, nisi a causa ipsa interna jam putredinem supervenisse constet si exceptas casus congelationis diuturnae matris gravidae, aut exiccationis, injuriae externae lethaliter matri et foetui illatae: unde etiamsi quandoque a multis pro mortuo haberetur, cum motibus omnibus privatus sit, sub conditione sacro baptismatis fonte est abluendus

(1) V. Schenckius, Heisterus, Baudeloque etc.

(2) Encyclopaed. Chirurg. lib. 4. c. 5.

(3) Probabiliter haec mors non erat nisi apparens; qua de re confirmari tanto magis videtur cl. Plateneri et aliorum sententia.

(4) Quaeritur an absolute ae vere mortua dici potuisset, nec ne? . . . .

(5) Embryol. Sacr. p. 72.

et tentamina congrua ad vitam excitandam sunt adhibenda cum plures hujusmodi supervixisse constet. Foetus aliquos per operationem caesaream in lucem productos ad summum dignitatis gradum fuisse evectos testantur exempla *Scipionis Africani* et *Mantii*, et juxta nonnullos etiam *Julii Caesaris*. Referunt quoque *Burcardum Comitem De Lintzgow* vulgo *ingenitum* dictum fuisse, ex eo quod ex mortuae matris utero exsectus esset. Idem fertur de *Sancto Raymundo*, qui ideo *nonnati* cognomen habuit. Dein regem Navarrae *Sanctium*, matre a Saracenis inter venandum per vulnus in ventre acceptum trucidata exertam manum ostentantem a supervenienti nobili *Gevarra* extractum et clanculum enutritum fuisse, eumque postea de principis electione, discrepantibus proceribus obtrusisse, controversiasque sedasse (1). Dein etsi tenellus embryo sit, aut mortis foetus suspicio, aut dubia graviditatis signa, operatio quoque negligi non potest: nam juxte *Nymannum* (2): *praestat centum praegnantia cadavera frustra incidere, quam semel permittere, ut foetus vivus in utero matris misere pereat.* Haec perpendens antiquitas, ne foetus extincta matre et ipse periret, prudenter et optime constituit (3) = *quod mulier praegnans mortua priusquam partus ei excidatur non sit sepelienda: qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur* = Haud multum discrepans est et vigens nostra Austriae Legislatio.

(1) Guillemeau Oeuvres de Chirurgie pag. 341.
(2) In Tract. de vita foetus in utero pag. 57.
(3) Lib. XI. Dig. Tit. 8. Lib. 2.

Legem autem illam non solum per excellentiam *regiam* appellabant Jurisconsulti Sassoni Wirtembergenses etc., verum etiam quia a Numa Pompilio Secundo Romanorum rege sancitam fuisse creditur. *Melius enim est* (secundum effatum Sapientissimi Imperatoris Antonii Pii) *unum servare civem, quam mille occidere hostes.* Utriusque Siciliae rex Carolus anno 49. saeculi elapsi per legem statuit » ut quaevis persona, cujus dolo, impedimento, » vel negligentia, caesarea sectio cum damno foe» tus ommittatur, aut saltem retardetur, isque » insuper eum malitia violentus abortus evenerit, » habeantur criminis homicidii patratores » (1). Dolendum sane, quod leges illae saluberrimae humanae pariter ac divinae, non sanctius ubique hodie colantur, et in praxi observentur: notandum tamen est non semper sectionem caesaream in mortua matre necessariam esse, ut foetus saluti consuletur, hocque docet sufficienter observatio cel. *Rigodeaux* inserta in diar. erud. mensis Januarii 1749, quae nunquam satis in memoriam revocari potest; scilicet » cum extra urbem (ille nempe » obstetricus magister) accersitus esset, ut partui » assisteret gravidae, intranti domum, mortuam » enarrant puerperam, quod neminem inveni» re potuerint, qui operationem caesaream in» stitueret: ille linteum, quo obvolutum erat appa» rens cadaver, auferens, aliquem adhuc calorem » superstitem, et membrorum flaciditatem absque » vitae indiciis videbat subsistere, faustum aliquod » praesagium, eum incitabat, ut orificium uteri

(1) Ed. supercitat. Cangiamila pag. 255.

» explorabat: hoc dilatatum et vesicam aquarum
» bene formatam reperuit, et disruptis membranis
» foetum per pedes extraxit, et partum salvavit,
» et quamquam foetus mortuus appareret, suadet
» tamen ne media non negligantur, quibus vita fur-
» san et in matre et in foetu sopita possit revocari,
» et negotium commendat adstantibus mulieribus.
» Non infructuosa earundem fuere conamina; nam
» post paucas horas notum faciebant *Rigodeaux* (qui
» meusae pastoris loci ipsius accumbebat) quod
» neonatus viveret aeque ac felici partu in lucem
» editus fuisset et grato hoc accepto nuntio visi-
» tavit recte valentem infantem. Cum vero altera
» vice matri linteum solvi juberet, et membra
» ejus adhuc flacida appareret, adhuc adstan-
» tibus commendat, ut spiritum salis ammoniaci
» adhiberent, assidue cadaver fricarent, ab incoe-
» pto non desisterent, nisi membra rigida appare-
» rent; quo facto circa vesperam duabus horis post
» suum discessum matrem velut a morte resusci-
» tatam recognovit: accidit 8 septembris 1745;
» mense autem Augusti anni 1748. et mater, et
» infans adhuc vivebant; mansit tamen mater sur-
» da, paralytica et fere muta ». Patet ex hoc
semper, antiquam in mortua, aut asphytica ad
operationem procedatur, osculum uteri exploran-
dum esse, ut experiamur, an partus per naturales
vias absolvi non possit.

Tertius casus est, ubi vivente matre, ob par-
tum per vias naturales impossibilem vitae matris pro-
spicitur, et foetus per operationem caesaream e mor-
tuis claustris eripitur. Posse autem hanc operationem
salva manente matre et foetu, administrari multae
historiae docent, ut sic mater urgente necessitate

in operationem caesaream consentire tenetur. *Cangiamila* (1) ejus inventionem, aut saltem restitutionem tribuit cuidam *Jacopo Nustero*, qui imperitissimus Chirurgiae circa annum salutis 1500 in propria uxore jam morti proxima eam suscepisse fertur tam felici cum eventu, ut postea gemellos et quatuor adhuc infantes enixa fuerit. Exectus vero infans primum anno salutis 1577 diem suum clausit. Hanc vero chirurgiam post singulari studio exposuit, et medentibus commendavit *Roussetus* (2): ne nobilior sexus solus palmam tantae audaciae obtineat, anno 1555 mense Octobri (3) legitur quod foemina partum proprium, cultro admoto exeidere ausa fuerit, quae res certe miranda, inciso utero, exemit cum foetu secundinam. An autem foetus vitam posséderit nec ne? De eo altum in descriptione casus silentium: sic animosa haec prosectrix poenam luit sat gravem, aerumnosa ac dolorifica morte. Quam forsan in vita conservavissent, si tractassent secundum methodum saltem tunc *Rousseti* aut aliorum illo tempore cognitorum: vitam enim protraxit ad triduum.

Plures tamen haec operatio habuit adversarios ob infelicem quandoque eventum, cum parturiens quoque et adstantes hanc operationem saepe non admittant, nisi dum jam vires fatiscunt; tuncque mors, si sequatur, adscribitur operationi, quae alias evitari non poterat. Unde *Ambrosius*

(1) In supercitat. Embryologia Sacra p. 93.
(2) In Traitè nouveau de l'hysterotomokie ou enfantement Caesarien Paris 1581.
(3) Observatio 192. ephem. Curios.

Pareus concludit (1) == id curationis genus, quod periculi et desperationis plenum est, nunquam usurpandum esse. == Sic et *Mauriceau* acriter insurgit contra sectionem caesaream, quam nunquam in vivis muliere tentandam esse declarat (2) et in *Rousscum* acerbissime invehitur egregius chirurgus *La Motte* (3) sequentia dum habet. » Me» tu ne approbarem crudelem hanc operationem, » et animos adderem aliis chirurgis ut illam » tentarent ad exemplum *Ruleau*, facit ut pro» tester, me, licet versarer in tali casu, ubi cre» derem illam absolute necessariam esse, simulque » adesse optimam spem felicis successus, tamen » nunquam illam tentaturum ».

Ast longe crudelior videtur illa operatio, ubi caput infantis in pelvis angustia immobilis haerentis, quinto jam die cultro discidit, cerebri partem eduxit; dehin manu in cavum cranii immissa digitis prehenso cranio, eduxit infantem, membra adhuc (heu horrendum spectaculum!) moventem: verum hodiedum novis et numerosis illustrata ars obstetricia observatis hanc operationem adhibendam esse suadet, cum unicum auxilium aliquando sit, quo mater et foetus salvari possint. Ita celeb. *Simon* (4) 70 et ultra assignat facta, ubi in viva muliere haec operatio cum summo successu fuit executioni mandata: historiae tamen docent, saltem in quibusdam institutum fuisse hanc operationem, dum adhuc alia in arte auxi-

(1) In lib. 23. De Generat. cap. 31. p. 702.
(2) Livre 2. Chap. 32. p. 352.
(3) Livre 4. Chap. 12. p. 526.
(4) In Acad. reg. chirurg. Paris vol. I.

lia supererant; sic legitur ob concreta pudenda abdomen dissectum fuisse gravidae ut foetus educeretur: sed certe tutius, censeo, scalpello incisionis ope hanc concretionem tolli potuisse. Eadem operatio instituta legitur, dum natibus prodiret infans duplicatus: notum autem est talem situm infantis ab artis magistris nequidem inter laboriosos partus numerari, cum saepe facile sic prodeat infans. Plures leguntur casus mulierum, quae sectionem caesaream passae, postea feliciter pepererunt, et saepius quidem: certe in his non potuit culpari mala pelvis conformatio, quae non emendatur hac operatione: e contrario saepe fit, ut foetus excludi plane nequeat, et has quidem partus praeternaturalis species pertractare mihi animus est, in quibus necessitas exigit, ut foetus exsecetur.

In his prima ratio, quae sectionem caesaream interdum urget, est praeternaturalis pelvis angustia. Dividitur haec juxta nonnullos in relativa et absoluta. Prima oritur ex volumine majori foetus transmittendi, et altera ex vitio pelvis. Ad statuendum juste gradus varios unius et alterius speciei, et determinandos effectus, quos habere possunt, exacta pelvis affectae cognitio, uti et voluminis foetus transmittendi haberi deberet, quod impossibile est quantum ad ultimum cujus capitis extensio supponitur ordinarie ab una protuberantia parietali ad aliam 3. pollicum et 6. linearum. Absoluta pelvis angustia, de qua hic potissimum agimus, incidit raro in omnes pelvis partes; sed tantum quaedam partes pelvim constituentes male conformantur.

Inter genera vitiorum pelvis annumerari so-

tant. — 1. Quando ossa pubis nimis versus os sacrum ita pressa sunt, ut conjugata apertura ambarum minuatur, atque hocce modo utraque apertura angustetur; complanata in minori gradu sunt ossa pubis, in majori versus os sacrum resupinata: pelvis haec *compressa* communiter vocatur — 2. Quando os sacrum cum ultima lumborum vertebra ad ossa pubis projectum angulum nimis acutum format, superioremque aperturam arctat. — 3. Quando inferior apertura angustatur ab osse sacro et osse cocygis; quando nimirum haec ossa introrsum nimis vergunt. — 4. Quando a lateribus inferior apertura ita peccat, ut nimia propinqua sint ischiorum tubera. — 5. Quando ossis sacri tuber in gibbosa foemina in alterum latus vergit, quod si major, vel minor exostosis in uno, alterove pelvis osse enascitur, et cavitatem pelvis angustat.

Jam dictis vitiis alia associari queunt (1): sed ut plurimum non afficiunt nisi introitum, vel exitum pelvis, et quidem ubi augustior est introitus, exitus largior est; et e contrario. Primum tamen frequentius obtinet quam secundum, et ordinarie vitium est in minori ossis pubis ab osse

(1) Varia de causa oritur hujusmodi pelvis deformitas: aliquae cum tali vitio nascuntur: dein incongruus puellae situs, neglectus in gestatione aliave externa illa a vis ossa comprimere capacitatem sive in diametro sive in conjugata augustare, vel rachitica aliave, aut scorbutica, aut venerea humorum corruptio mollitiem ossium efficere, et hinc pelvim compressam reddere potest. (Tract. Theor. ac Pract. art. Obstetric. Auctore Gulielmo Smellie p. 75.)

sacro distantia, sive in diametro anteriori, et quidem quandoque uno latere tantum et multo minus frequenter in diametro transversali. Contrarium saepe occurrit in exitu pelvis, nam frequentius nimis propinqua sunt ischiorum tubera, et arcus ossium pubis non recte excavatus. Coeterum omnibus illis rite constitutis, eo major partus difficultas habetur, quo major pelvis angustia, sicque ita arcta pelvis ut minor diametrus, sive anterior non habeat 2 pollices et $\frac{1}{2}$; foetus exclusio qui ad ultimum terminum graviditatis gestatus est, impossibilis censeri debet, imo et partus naturalis quandoque fieri nequit cum diametro paullo majori jam dicto, tuncque aliqui praematuram foetus exclusionem sollicitarunt et commendarunt, quod tamen ratio et leges proscribunt. Alii recursum habuere ad symphisiotomiam (sectio pubis). Nos autem nonnisi operationem Caesaream posse in hoc casu tuto adhiberi sustinemus, et quidem suadente cel. *Levret* (1) praestat instituere viribus nec dum fractis, ubi aquae necdum effluxerunt, cum utero adhuc aquarum mole distento, seque post sectionem contrahente omnino minor sectio sufficiat, quam eo jam contracto.

Mala pelvis ossium conformatio sola causa non est quae partum per vias naturales reddere potest impossibilem; sed etiam uteri orificii vitia, quae ejus dilatationem necessariam impediunt, et arte chirurgica tolli non possunt, sunt adnumeranda; ut tumores scirrhosi, et alii praesertim

(1) Artic. 9. pag. 237. In Sect. Caesar.

si largam basim habeant: arctior vagina si fuerit, vel si major orificii uterini resistentia aliunde nata, haec vel per artem, vel naturae conatus ut plurimum superantur.

Clarissimus *Baudeloque* in sua Arte Obstetricia de usu hujus operationis talia fatur. » » L' operazione Cesarea è sì pericolosa che non » si deve intraprendere che nel caso in cui è » evidentemente indispensabile: eh' è ciò che gli » Ostetricanti non han determinato, in riguardo » alla cattiva conformazione del bacino, se non » in una maniera molto vaga, e molto incerta. » Essa non si deve praticare se non quando questa cattiva conformazione è tale che non lascia » alcuna speranza di condurre il fanciullo vivo » per la via naturale: ma non si deve adottare » per sola ed unica regola a questo soggetto » quella che il Celebre *Levret* ha stabilita: *Fa » d' uopo*, die' egli, *per decidere assoluta l' impossibilità del parto del fanciullo in vita che » la mano dell' Ostetricante non possa essere » introdotta nel vôto del bacino per penetrare » in seguito nell' utero, o che non la possa assolutamente ritirare allorchè ha preso uno dei » piedi del fanciullo.* Sarebbe estremamente pericoloso di non aver altri dati che questi per » decidere dell' impossibilità del perto, e della » necessità dell' operazione Cesarea. Niuno discoverrà che una tale operazione non sia realmente indicata quando la mano dell' Ostetricante non può traversare il bacino della donna; » ma sarebbe assurdo il sostenere che non è veramente necessaria che in questo caso. La » mano la più grossa traversa liberamente un

» bacino, il cui ingresso non ha che due pollici
» e mezzo di piccolo diametro, quando si dirige
» metodicamente, ed on' altra più piccola pene-
» tra egualmente nell' utero, quantunque questo
» diametro non abbia che due pollici; ma di
» dieci mila fanciulli che s' intraprenderebbe ad
» estrarre per una simil via, se ne sagrifiche-
» ranno evidentemente dieci mila se sono a ter-
» mine d una grossezza ordinaria. Il bacino che
» offrisse tre pollici meno un quarto di diametro
» lascie ancora così poca speranza, che di 500.
» fanciulli appena se ne salverebbero alcuni, e
» forse ancora non sarebbero debitori che a quel-
» la costituzione particolare (di aver cioè 3. pol.
» e ½ per piccolo diametro); ma sgraziatamen-
» te è molto rara in simili casi di grande de-
» formità del bacino . . . .
» Noi crediamo perfettamente indicate l' opera-
» zione Cesarea tutte le volte che questo diame-
» tro non ha che due pollici e mezzo di esten-
» sione » (1).

Nunc ad alia vitia, quae Caesaream depo-
scunt operationem; et inter haec ruptura uteri
est recensenda. Hic infelix casus non adeo rarus
est, cum celebris olim Parisiis Artis Obstetriciae
magister *Gregoire* (2) se triginta annorum spa-
tio decies sexties uteri rupturam observasse te-
stetur: si foetus in utero quasdam partes offert
per quas extrahi potest, tunc operatio non ten-

(1) Oper. Citat. Trad. Leonardi Cattolicae. T. 3. p. 205., e seg.

(2) Hist. Acad. Reg. Scient. ann. 1724. Obs. Anat. N. 4. pag. 52.

tanda est: licet enim Obstetrica manus dilacerationem uteri sentiat, illa tamen forte extracto foetu et contracto utero sanari potest; ipsa vero sectio Caesarea omnino instituenda est, si foetus per dilaceratum uterum in abdomen penetravit, et partes ejus quae forte in utero adhuc subsistunt, extractioni praestandae non sufficiunt: sed si considerentur symptomata pessima quae ut plurimum excipiunt uteri rupturam, ut animi deliquia saepe recurrentia; faciei pallor, oculorum excavatio, obnubilatio, sussurrus aurium, pulsus intermitteos, sudor frigidus, convulsiones, quae scenam non raro claudunt; quis in ancipiti adeo statu hanc operationem suadebit, aut quis Chirurgus illam in se suscipiet? . . Unde si unquam profuerit, antequam illa symptomata pessima accesserint, institui deberet; dein si jam jam rumpendi uteri signa urgent, largis V. S. et aliis frustra tentatis sectio Caeserea inversioni foetus foret praeferenda.

Conceptiones ventrales in ovario et tubis factae operationem hanc interdum quoque exigere possunt. Verum, uti optime monet *Levret* (1) ut gravis adeo operatio instituatur, certo constare debet, foetum non in utero, sed extra uterum haerere. — Signa conceptionis ventralis generalia cum reliquis graviditatis signis collimant; si vero tumor non in regione matricis, sed in vicina iliaca deprehenditur; si in orificio uteri nulla mutatio, graviditati conveniens observatur; si motus localis infantis, instar corporis in abdomine separati

(1) L'Art. des Accouch. p. 108.

percipitur; imo si ipsum corpus foetus tactu distinguere possumus, tunc nullum ferme dubium restat, foetum extra uterum esse positum, et sic matrem per gastrotomiam esse liberandam, dum foetus ad partus terminum gestatus appsret.

Casum rarissimum aliud pro sectione Caesarea sistit uterus in hernia sic adhaerescens, ut nulla ratione reduci in locum suum naturalem possit. Cujusmodi exemplum refert *Sennertus* (1), ubi in gravida muliere post acceptum gravem in sinistro inguina ictum, tumor eo loci apparuit, qui tantum abest, ut reprimi potuerit, ut potius in dies magis magisque creverit, adeo ut uterus situm fere horizontalem obtinuerit. Cum igitur hisce sub conditionibus dolores partum foetus praevianr non in pelvim, sed in lumbos impellant, neque in tanta uteri obliquitate manuum, vel instrumentorum auxilium esse possit, perspicuum est non dari aliam viam parturientem ab onere liberandi, quam sectionem Caesaream. Si vero repositio herniae ante partum possibilis est, sicut in observatione a *Ruyschio* (2) proposita contingit, tunc ad sectionem non progrediendum erit; sed foetus per naturalem viam excludendus est, nisi forte hic alia obstiterint impedimenta graviora. Haec impedimenta adducta a parte matris sunt; inveniuntur tamen et alia a parte infantis, in quibus tamen nonnisi urgente necessitate ad operationem Caesaream deveniendum est.

(1) Institut. Pract. Medic. lib. 4. part. 1. Sect. 2. p. 17.
(2) Advers. dec. 2. pag. 23.

Disputandum denique foret an cum monstra bicorporea, vel bicipita etc. in utero occurrunt, operatio Caesarea instituenda esset, potius ut illa viva serventur, an in iste, ut mater conservetur, instromentis offensivis, et praesertim Kephalotomo, per vaginam in illorum corpus illata foret procedendum, ot membratim eximerentor per viam naturalem. Cel. Professor *Platner* cum aliis in hisce circumstantiis pro Caesarea pugnat operatione; nam, ne de aliis innumeris dicatur exemplis, narrat eximius *Le Clerc Buffon* casum mirandum duarum puellarum iosimul concretarum, quae vitam usque ad 23. annos duxere. Praestans e contra Professor *Lovati* aperte declaravit in suis lectionibus Academicis ad monstri destructionem in utero esse "incedendum, nam experientia docet, ait, quod talia monstra vivere nou possunt generatim nisi brevissimo tempore; et nullius praeterea utilitatis sunt hujusmodi individua Patriae et societati, dum matrem servatam non instituta hysterotomotocia adhuc spes superest alios natos in lucem esse edituram atque magis utiles evasuros.

Sic pariter cum operationis Caesareae ope eximendi sunt duo foetus gemini, primogeniturae jus Civile sorte omnino concedendum est ab Obstetricante, nempe primo qui ad exitum se pacribet; atque claro signo distincto, distinguetur ab illo qui in posterum exibit.

Enumeratis iis partus praeternaturalis speciebus, in quibus sectio Caesarea instituenda est, restat ut de ejusdem perficiendi methodo et loco verba faciamus. In primis quando instituitur operatio, vel gravida mortua est, vel dubia tantum

morte detinetur, vel vivit. Si sine dubio mortua sit, et nullus artis magister praesens, quilibet quantocius, sine magna cautione adhibita, ventrem aperire debet, ut foetum in dias luminis auras proferat, et sacro baptismatis fonte abluat. Si maturus fere foetus gestetur, imperitus incisionem incipere potest prope Cordis scrobiculum, et aperto ibidem abdomine plagam versus ossa pubis extendere, donec uterus in conspectum veniat, qui incidendus est eo modo, ut in vivis dicetur: si vero minus maturus foetus, loco decliviori incisionem incipere potest, ut uterus detegatur.

Ubi autem dubia mors, facto omni tentamine ad vitam excitandam quamvis incassum, oportet ut in vivis procedere; nam si gravius animi deliquium mortem simulavit, sub cultro vivam reperire potest mulierem, et tunc operatorem minus caute processisse semper poenitebit. Unde olim recte Senatus Venetus edicto statuit, ut in mortuis eodem modo operatio instituatur, ut in vivis fieri consuevit, crucialesque prohibuit incisiones.

Ubi autem in viva muliere operatio instituenda est, quo melius ea succedat, sequentia notanda veniunt.

a) Omnis instrumentorum apparatus a gravidae conspectu remotus ad manus sit, reliquaeque cautelae in omnibus chirurgiae operationibus observandae minime negligantur.

b) Ne vesica lotio distenta, et supra os pubis eminens cultello secanti offeratur, lotium ab aegra vel deponatur, vel catethere educatur.

c) Adsint parati duo cultelli in suo manubrio firmati; scilicet unus cum lamina lata acu-

tissima acie convexa praeditus; et alius rectus cum lamina perangusta, cujus acuminis principium globulo munitum est, in hunc usum speciatim fabrifacti.

d) Praeterea linteamenta fina sint in promptu, quae ipsi mulieri subternantur, et circumponantur, quo sanguis, qui promanabit, tegatur, cujus etiam parva quantitas magnam profusionem ostentat, et tum mulieri parienti quam adstantibus terrorem incutit.

e) Adsint quoque fascia, splenia, stupae bene pexae, pulvilli lateribus abdominis sub fascia admovendi, ut sanguis, aliique humores in cavum abdominis effluentes versus volnus dirigantur et exitus eorum facilitetur.

f) Deio paratae sint acus curvae filo cerato instructae pro gastroraphia, et filum pro ligatura funiculi. Ulterius liquores parum spirituosi, ut aqua vulneraria, coloniae, vel mixtura excitans-anodyna ex aqua menthae piperitae, liquore anodyno min. *Hoffmanni*, liq. c. c. succinat. et laudano liquido *Sydenhami* confecta, vel etiam spiritus vinus solus, vel camphoratus ad certam quantitatem aquae mixtus. — Denique antequam operationi se submittat gravida, indusio brevi anterius fisso secundum longitudinem induatur, et ponatur in lecto perangusto et elevato, ut artis magister et ministri libere operentur. Cum autem in ipso lectulo aliquo tempore morari debeat, ut quiescat post operationem, culcita sit munita sufficiente linteaminum numero, ut sanguine et aquis madida extrahi possint, ut sicca et munda servetur puerpera. supra transversum lecti cervical sustineantur lumbi, ut magis extrorsum promi-

neat abdomen: decumbat in dorso eruribus et femoribus extensis tempore operationis, et semiflexis quando foetus extrahitur.

De loco ubi incisio instituenda inter auctores discidium est, et vix ullus in abdomine locus est ubi non fuit instituta operatio. Multi in parte laterali abdominis secavere, alii transversaliter aut supra, aut infra umbilicum, et quidem in linea alba incisionem instituere. Inter primos aliqui fuere qui fecerunt incisionem oblique descendendo ab extremitate cartilaginis tertiae costae spuriae versus pubem; alii vero arcuatam incisionem praetulerunt. Cel. *Levret* commendabat incisionem parallelam ad oram externam musculi recti abdominis; sed ita ut aequaliter a musculo recto et alia linea ducta ab extremitate tertiae costae spuriae ad spinam superiorem ossis ilii distaret: omnes aut in latere dextero, aut sinistro pro vario viscerum abdominalium statu secundum esse suaserunt. Ulterius consuluit celeb. *Levret* ne locus incidatur uteri ubi judicat insertam esse placentam huic vel illi connexam uteri parti; pluraque esse dubia et incerta; unde si lateralis incisio foret praeferenda abdominis in latere, in quod uteri fundus magis inclinat, ceteris partibus esset instituenda, ut melius in conspectum veniat uterus: nos vero judicamus tutorem esse sectionem in linea alba, sive potius in aponeurosi media inter musculos rectos, quae magis extensa est ultimis graviditatis temporibus, ut musculi recti quidem magis a se mutuo distent.

Antequam se submittat gravida operationi in casu, ubi praevidetur operatio necessaria, sanguis utplurimum mittatur, primae viae a crudi-

tatibus, et intestina a foecibus liberentur; dein balnea quoque praemitti possunt, quae omnia non nisi magis felicem operationis successum promittere possunt; sed dolendum quod plerumque saepius negligi debeant, cum mulier, antequam de operatione cogitetur, jam saepe fatigata valde sit, et genitalia irritata, contusa per imprudentem manum admotam.

Foemina in conveniente situ posita, operator manu (1) dexters tenens hysterotomum eum acie convexa incidet tegumenta et pinguedinem, donec in conspectum veniat aponeurosis quae constituit lineam albam; hanc caute et prudenter incidet ut peritonseum detegat, lenior nunc plaga peritonaeo infligatur, in hoc digitum indicem manus dexterae immittet, hujusque ductu vulnus, quantum necesse est, dilatabit. Ad hanc perficiendam incisionem nunc cultellus rectus cum rotunda, aut globosa cuspide est praeferendus: extendatur vulnus ab umbilico usque ad pollicem cum dimidio supra symphisim ossium pubis: tutius inciditur a superiori parte versus inferiora, quam e contrario. Cum inciduntur abdominis integumenta, adjutor fixum tenebit in medio abdominis uterum, leni facta ambabus manibus laterum abdominis pressione, dum alius similem faciet pressionem supra umbilicum, ut aliquo modo uteri fundus deprimatur, et impediatur intestinorum per vulnus prolapsus; elapsa vero refundantur, et ab adstante contineantur. — Aperto, ut decet, abdomine, in ejus cavitate haerens foe-

(1) V. Baudeloque loc. Citat.

tus mox eximatur et plaga in tobam vel in ovarium maxima cum moderatione continuetur, si hisce in partibus foetus continuetur. Ubi vero in utero sedem habet, depresso per adjutorem uteri fundo, ut sit ad libellam cum angulo superiori vulneris, omne uterus cultello acie coovexa praedito in media superficie ea dexteritate incidatur ne foetus vulneretur, exteosa scilicet plaga in parte anteriore fere a centro fundi ad duos saltem pollices supra orificium exteruum uteri, ut adeo sectio noo exteodatur ad orificii uterini aperturam ioternam, quaa ipsam cavitatem uteri respicit. Apparentibus membraois ovi parva plaga infligetur, et digitus immittetur, ejusque ducta cultello summa cum cautela vulous extendetur incidendo ab interiori parte versus exteriora: incidi deberet quoque placenta si in casu fortuito sub acie cultelli detegeretur, nisi margo io vicinia vulneris foret, at sic expediat ut digitis separetur.

Incisio uteri ad longitudinem 5. vel 6. pollicum pro extrahendo foetu plerumque sufficit; generatim praestat paullo majorem facere incisionem, quam nimis parvam, quae et longior esse debet, si aquae jam dudum effluxerint. Dicta incisio sit ad libellam cum angulo superiora vulneris iotegumentorum, et terminetur saltem ad pollicem cum dimidio supra angulum inferiorem vulneris externi. Aperto conveniente utero, iotroducatur manus ut quaerantur pedes foetus, et hic eo fere modo ut in partu naturali agrippamm fieri solet, invertatur et extrahatur. Foetu ad axillas usque educto, si major capitis moles foerit, brachia solvantur, et uno aliove digito in os

foetus immisso, dum altera manus supra humeros ita fertur, ut utramque colli regionem bini digiti comprehendant, caput hinc inde agitando et attrahendo solvere conetur. Ubi vero caput primo per inflictum vulnus urgetur, tunc primo educendum, et utriusque manus indicem infra angulum maxillae inferioris insinuando attrahatur. Educto foetu, manus in uterum immittitur, ut placenta separetur, et grumi quoque sanguinis educantur, et digitus in collum uteri immittitur ut aperiatur et grumi sanguinei ostium occludentes auferantur, ut sic lochiorum fluxui via paretur.

Si uterus, educto foetu et placenta, mollis subsistat, seque non contrahat, exteroe modice irritetur, ut fibrae in contractionem abripiantur. Quando in media parte anteriore uteri facta est sectio, nisi offendatur placenta, generaliter periculum haemorrhagiae notabilis vix habetur; si tamen supervenerit, quae aliquem metum incuteret, labiis vulneris aqua frigida admoveatur, quae modicum spiritus vini vel aceti in se recepit; si autem aliquot post operationem diebus sanguinis abundantior fluxus supervenerit, iterum lenioribus stimulis actio uteri excitetur: hinc proderit aquae frigidae purae, vel cum modico aceti injectio; laxus uterus per interna remedia roboretur; effusus in abdomen sanguis vel situ aegrae, vel facta supra abdominis latera pressione educatur.

Aliqui etiam injectiones aquae tepidae adhibuerunt, ut viscerum superficies sanguine tincta abluatur. Aeedem injectiones per vulnus in decursu factae ut et in ostium uteri, ut orificium uteri servetur apertum, utiles esse possunt.

Uteri tandem vulneris vix habenda ratio est

cum pauca post minuta ultra medietatem minuatur, et viribus naturae consolidetur. Abdominis autem vulnus fascia uniente ita constringatur, ut in sede inferiori humoribus effluxus concedatur; aër a vulnere arceatur; suturam injicere, quamquam absolute necessaria non sit, tutius est. Coeterum aliquot ab operatione elapsis horis semel iterumve tollatur fascia, quin, si opus est, suturae eo scopo solvantur, ut vulnera examinari, et effusi sanguinis thrombi eximi possint. — Reliqua perficiantur ex generalioribus, quibus graviora vulnera abdominis (1) maxime diriguntur regulis.

(1) V. Monteggia in Gastroraphia ecc.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In errore versantur qui credunt, delirium semper ex congestione aut inflammatione cerebri vel ejusdem membranarum oriri.

II.

Experientia docuit, pueros annum aetatis sextum nondum attingentes delirio laborasse.

III.

Hydrocephalus acutus infantium nil aliud est quam ipsorum meningo-cephalitidis effectus.

IV.

Causa proxima lithiasis vesicalis est quaedam conditio morbosa capillarium renum, qua organa haec humorem secernunt, cujus principia constituentia differunt ab illis, unde in statu sanitatis urina constituitur.